

omnium com meatus in urbem conuehunt: sed & molas frumentarias, chartaceas, fullonicae, asserarias magno cuium commodo versant plurimas. Atque haec de situ: quem ipsum si considerari libet ad Astronomorum regulam, nouimus eorum calculum receptum: qui Vvarislauiae ultra unum & quinquaginta latitudinis gradus scrupulos decem adscribunt, longitudinem autem triginta quatuor gradibus totidemque minutis terminant.

CAPVT TERTIVM.

*Varia urbis opera, qua famam merentur, quae sacra, quae profana,
quae publica, quae privata.*

ORNANT extrinsecus atque egregie urbem muniunt, cum *muri* praeualidi lateritio pulchro opere, & sectis ut plurimum lapidibus inferius fabrefacti passimque interit in di, cum *aggeres* amplitudine eximia: partim Viaduo amne, partim *fossis* aqua ductili stagnantibus undique cineti: quorum munimentis praeter *turres*, quae L. X. plus minus in mœnibus conspiciuntur, validissima aliquot, opportunis locis haud inscienter exstructa seruiunt *propugnacula*: ut ad hostiles minas impetusque arcendos fatis potens pollensque Vvarislauia videatur.

Porta operi respondent simulâ laude, ita ad elegantiam facta, ut magis ad firmitatem: catenis, obicibus, ferratis clathrisque, quibus belli tempore hostiles inhiibeantur aditus, probe munita: nec directo plerumque sed flexo tramite longos circuitus ducentes. Sunt autem vniuersum nouem, *S. viduicensis*, *D. Nicolai*, *Molendinaria*, *Viadri*, *Casari*, *D. Matthiae*, *D. Virginis* sua in *Arena*, *Lateritia* sine *Laterum*, & *Olauenfis*: quarum tres posteriores magnifico opere & splendido.

Quaecumque vero portâ egredi lubeat, praeter *suburbia* amplissima, splendidis villarum aedificijs hortisque amenissimis conspicua, *Thessalica* passim tempe frequenti & viridante arbore

bore confita, liberalique ciuium oblectationi ac deambulationi consecrata occurrunt.

Quod ad interiorem ornatum viæ publicæ siue *plateæ* latæ, apertæ, & in laxissimum non raro prospectum, quique cuiuslibet oculos fugiat, protensa: lapideo præterea omnes pavimento vestita: tam conuenienti symmetriâ, vt nihil supra. Et est inter cæteras spaciola iuxta preciosaque, quæ a D. Adalberto cognominata.

Fora cum alijs vsibus, tum victualium cæterarumque rerum mundinationibus hebdomadalibus & anniuersarijs destinata, ingentibus aperta spacijs & ædificijs citata splendidis tria, *Magnum*, in quo curia, forma quadratam & paribus fere in omnes partes interuallis productum, cui ambigas an vllum aliud, non dico Silesia, sed Germania par habeat, *Salinarium & Nouum*.

Pontes Olauæ,

quod per amenam urbem leni fluit æquino flumen,

impositi complures: usque partim lapidei, partim sublicii siue lignei: cuiusmodi amnes, quibus *Odera* extra urbem coniungitur, usque maximis & longissimis.

Locis, quæ diuino cultui sacra, niter quamplurimis, usque magnificis & aliter atque aliter structis atque instructis: in quibus dignitate atque opere primum templum cathedrale *D. IOHANNIS* in insula, inter primas Germaniæ basilicas citra iniuriam censendum, insignique Canonicoꝝ collegio ornatum. Exordia huius templi, traducta Vratislaniam sedē Episcopali, quæ Smogroniæ prius, deinde Bicianz fuerat, posuit *Casimirus Poloniæ Rex* circa annum salutis 1134. sed quod cum initio ligneum tantum esset, sub *Walthero Episcopo* de latere & secto per artem lapide extructum subindeque instauratum, in maximum & magnificentissimum excreuit. Odeum siue choris, qui ab alterno diuinarum laudum concentu sic vulgo dicitur, perquam elegans: quem præter aram argenteam, quam suis sumptibus fieri curauit *Andreas Episcopus*, insigni & visendo

opere non ita pridem egregie exornauit **Bernhardus Ederus** eius basilicæ Canonicus. Sacella vndique & altaria tam proprio, quam ascitio ornata splendida, præsertim si tutelaris festiuitas, anniuersaria loci dedicati memoria, aut aliud quiddam occurrat: tum Epitaphia & monumenta omnibus templi angulis lucentia. Tectum templi cupreum: cui & turres duæ illustribus & luculentis fastigijs cõiunctæ. Illud planè silentio neutiquam regendum, famâ & multorum sermonibus celebrati, ita viu venire in hac basilica Vratislauenſi, vt Episcopi & Canonicorum propinqua: mortes certis signis prænuncientur. Plerunq; enim subsellium, in quo Canonicus morti vicinus sedere solebat, à se ipso claudi, aut rosam in subsellio illo reperiri: aliquando etiam campanas sonare, nullo impellente. Cui simile aliquid **Cromerus** de basilica **Cracouiensi** refert. Neque omittendum porro, quod de hoc Episcopatu **Aeneas Sylvius** de mor. Germ. scribit: *Vratislauenſem, inquit, Episcopatum aureum quondam appellare, sed hunc quoque Hussitarum vesania extenuauit. tunc Canonici, dum Canonicas horas canunt, rubris cappis ornati, Cardinalium Rom. Ecclesiæ morem tenent.*

Neque vero minus splendidum S. **CRUCIS** templum in eadem insula: quod **Henricus Probus Dux Vratislauenſis** Anno **C. CIO CC LXXXIX.** condidit, & collegium sacerdotum datis de suo luculentis reditibus instituit. Inferior crypta honori **D. Bartholomæi** Apostoli sacra.

Nobilia item & magnifica sunt templa vr̄bis parochialia.

I. Templum **D. ELISABETHÆ** anno Christi **CIO CC LIII.** extractum: quod a uotum memoriâ, cum iam humanatum traditionum assiduâ alluione Apostolica illa & primitiuæ Ecclesiæ veritas ita adulterata deprehenderetur, vt saporem pristinae ingenuitatis vix retineret, inclytus vr̄bis Senatus à Papanis superstitionibus repurgari, puramque in eo Euangelij doctrinam doceri curauit, accito ad id muneri **Ambrosio Moibano** insigni Theologo. iuxta stat turris cõspicua, & caput inter nubila condens,

dens, A. C. **MDCCCCLVI**. vt habent annales, educta ad fastigium vsque siue culmen, quod affabre elaboratum & **CCCCII**. centenarijs plumbi, **LXXI** autem centenarijs cupri cooperatum, vt ex rudetibus ad publicam libram examinatis patuit, cubitosque altum, si insertam culmini quindecim cubitorum crucem adnumeret, **CXIX**. A. C. **MDCCCCLXXXII** turri impositum, in vigilia D. Matthiæ Apostoli secunda noctis hora A. C. **MDCCCLXXXII**. vi tempestatis superæ corruit, eique substitutum postea anno **MDCCCLXXXII**. quod nunc conspicitur. Historia illius ruinae, qua præter selem nemo læsus fuit, in templo depicta est, cum eleganti subscriptione: quam, vt hic etiam legatur subijcio.

MIRABILIS IN ALTIS
DOMINVS.

Collapsa est turris Syloe mactefacta cruore,

Pyramide hac nostra nemo cadente perit.

Nam iussu Domini exceptam, cui gratia Soli,

Angelica molem deposuere manus.

Insignem eadem turris habet campanam anno **MDCCCLXX** fultam: cuius ambitus est **LIV**. vinarum Vratislaviensium, & inferior grossitudo vlnæ fere dimidia.

Est & auditorium in hac æde Theologicum: in quo deposita viri Nobilissimi **Thome Rhedigeri** bibliotheca magna & exquisita bonorum librorum tam culorū quam manuscriptorum copia refertissima: quos cum incredibili cura ac diligentia, magnaque vi auri impensā, doctissimorum ea in re hominum consilio atque operā adiutus (semper enim siue peregrinaretur, siue illustri aliquo loco moraretur, apud se literatum habebat vnum atque alterum, sæpe etiam complures, vatum ob id hospes non minus vere quam festiue à **Iano Douza** Nordovice viro nobilissimo adpellatus, cum ad **Ger. Falkenburgium** ita scribit,

Meroß, curas dissipare Rhenensæ

Tecum, aut apud vatum hospitem Rhedigerum,

Doctum atque vere nobilem Rhedigerum

per Italiam, Galliam, & Germaniam conquisiſſet, ſic de ijs teſtamento cauit: vt libri omnes vna cum numiſmatibus aureis argenteis, znceis, ſtatuſ, picturis, & reliquis bibliothecæ ornamentis minime vulgaribus, quam diligentiffime Vratiſlaviæ in vno conclauſi ad id ab heredibus inſtructo adſeruarētur, omniaque in eo ſuis locis diſtinctè & ordinatè diſponerentur: ita quidem, vt bibliotheca illa cum ſuis ornamentis non tantum Rhedigerianæ familiæ, penes quam eſſe perpetuò debeat, honori verum etiam alijs viuſ & voluptati eſſe poſſet. Nulli vero libri vel legendi vel cum impreſſis conferendi inde darentur, niſi de ijs ſartis tectis certo tempore reſtituendis idoneè caueret. Quo quidem facto, vt propenſa voluntatis rem literariam omnimodis iuandi illuſtre ſpecimen dedit, magnamque ab eruditis omnibus gratiam inuit: ita fieri non poteſt, quin ſubeat quam plurimos indignatio cum miſeratione, poſt XXXVII. mortis annos haud dum eam fuiſſe voluntatis Rhedigerianæ executionem eſſe quæ fortaliſs debebat.

Sunt denique in hac æde circumque eam tot vtriuſq; ſexus præclari homines ciuesque, quæ Eccleſiaſtici, quæ politici, quot alibi vſpiciam, cum elegantiffimis & ſpectandis monumētis conditi: quarum eruditas quaſdam epigraphas in delicijs itinerum à *Nath. Clytræo* editis, & monumentorū Sileſiæ periculis expoſitis à *Sim. Grunao* quem vt promiſſas omnium patriæ noſtræ epigraphas in publicum cōferre maturet publico nomine hoc loco obteſtor) delicijs item orbis Chriſtiani à *Fran. Soczertio* recenter vulgatis, qui volet requirat.

II. Aedes D. MARIE MAGDALENÆ: in qua miniſterium purioris doctrine primus inchoauit *D. Iohannes Heſſus* ex collegio in urbem à Vratiſlavienſibus vocatus Anno CHRIS-
TICIO XXV. Templum auguſti cultus ſtruduræque & varijs va-
riorum cenotaphijs ac monumentis conſpicuum, baptiſterion
in ſuper habet eximij operis, vt & ſuggeſſum à *Fridericus Gwiſio* in

signi statuario ex alabastrite & marmore viridi tralucentique, ad **Zabochum** montem eodem auctore primū fofso sculptum, & varijs hinc indeq; imaginibus exornatum. Neque vero paruum eidem templo decus adiuncta conciliat Bibliotheca: quæ ampliffimi senatus & priuatorum munificentia adornata, publicisque vifibus confectata librorum omne genus præstantiffimorum cenfū indies augetur atque excolitur. Inſcriptio huiusmodi.

Bibliotheca

ſub

Præfidibus ac patrocinio viroꝝ No-
bilium, Ampliff. & Integerr.

Dn. **DAVIDIS KOSLERI** Ordinis Senatorij

&

Dn. **MICHAELIS FURST** in **Suffenberg**,
templi huius **Ædilium**.

Anno

M D C I

in ordinem redacta.

Salve, qui quis ades. Præsum tibi nobile monstræ.

Quæ flores, rotidem cernis in urbe libros.

Hic animum pascere, atque hic mella liquentia fuge:

At nocturna tibi quaeso venena fuge.

Noſce Deum, mentis fontem, tuq; excole mentem.

Me, ſi ſit, auge. Sed ſpoliare cave.

Adnexæ templo turres duæ eximæ & præcellæ, quæ anno **MDCLXVIII** reparatæ, cupreisque laminis tectæ.

III. **Ædes D. BERNHARDINI**, in noua, quam vocant, civitate, cui propinquioris: monachis Franciſcanis, qui velut regulæ Franciſci obſervantiores, de *Obſervantia* vulgò & *Bernhardiniani* à **D. Bernhardino** Senenſi Minorum inſtituti Reformatore adpellantur, **A. C. MDCCCCLIII** inſtituctu **Johannis Capiftrani** Itali (qui doctrinâ & ſanctimoniam vitæ xuo ſuo clarus ſuſcepta

ſuſceptâ in Boiemiam, Poloniam, & Sileſiam peregrinatione cum in hanc urbem triginta ordinis ſui monachis comitatus veniſſet, poſitâ in foro cathedrâ quotidie per interpretem ad populum concionem habuit, & in vitia acriter inuectus, luxum præcipuè in veſtitu, cibo, potuque taxavit, & alveolos, teſſeras, chartasque luſorias magno numero congeſtas publicè cremauit; à Vratiſlauenſibus exſtructa. Sed poſtea eiectis anno **CIO** **IO** **X** **XII**. palliatis illis & pallidis mendicabilis in alios potioresque uſus verſa: templo in parochiam, monaſterio in hoſpitale tranſmutato.

Illud minime prætermittendum hic cenſeo, monachum induiſſe in iſto conuentu **Iohannem Episcopum Paradienſem**: qui ex obſcuro alioqui Moravia oppido Proſtânæ oriundus, ſed ingenio & induſtriâ ſua ad id culminis euectus, ut principem gratiæ locum apud Matthiam Regem teneret, neque quemquam per ea tempora inter ſui ordinis homines parem haberet, cum **Olomucenſem** quoque Episcopatum aliquandiu adminiſtraret, A. C. **CIO** **CCCC** **XCII**. accitis è Sileſia D. Franciſci ſodalibus poſthabitis, quæ apud mortales ceteroqui prima ſunt tiaram poſuit, & Vratiſlauriam cum ijs profectus, cuculligerâ veſte ſumtâ vitæ reliquum inter monachorum choros egit. Virtutes eius toti orbi notiſſimas Bonfinius paſſim tum dec. 4. lib. 10. ſub finem copioſè deſcribit. Curæus autem noſter eum cum **Iano Pannonio Episcopo** Quinque eccleſienſi, cuius monimenta ingenij clariffima exſtant, confundit: Fama tenet, nec à vero abhorrens dixiſſe **Ioannem ad Episcopum Vratiſlaurientem** cognomine **Rothum**: *Et vos eritis* (verbis reſeto vetuſti manuſcripti codicis) *aliquando Monachus*. Reſpondiſſe Episcopum: *Non deſcendo de ſuperiori & perfectiori ſtatu ad minorem*. Cui iterum Monachus: *Quid ſi & vos diabolus inſatuaret, ſicut me inſatuavit?*

Nobilioris ſexus monaſteria præcipua Vratiſlauriæ hodièq; tria.

I. D. IACOBI cœnobium: quod fratribus **D. Franciſci Aſſiſnatis**

natis (quem in ecclasi cum Christo cõmissum totidem ab eo stigmatibus & plagis cõpunctum ipsidem in locis fuisse, quot ipse acceperat in cruce, volunt) nouo tunc instituto viuentibus ab **Henrico Pio D. Hedwigis F. a** Tataris caeso atque isthic humato constructum auorum memoria **D. VINCENTII** nomen induit: translatis illuc crenobiarcha ac sodalibus monasterij suburbanà **Petro Durino Dano** Præmonstratensi ordini (de cuius institutione ex Chronographico hoc disticho liquet,

Anno millesimo centesimo bis quoque deno

Sub Patre Norberto fundatur candidus ordo)

circa A. C. CIO CXXXIX conditi, & cætera huius vrbs monasteria splendore ac dignitate multis modis supergressi: sed quod cum belli temporibus propter viciniam vrbi nõ parum incommodare videretur, Vratislauerenses, vt hoc impedimento se expedirent, inetus Turcarum tunc Aultriaz metropolim Vienneam obsidentium prætextu anno CIO CXXXIX. vna cum templo D. Michaelis & omnium Sanctorum amoliti sunt. Multa Petri illius cum Vicentini cœnobij tum complurium aliorum templorum ^{in Vratislavia} in Polonicis nostrisque historijs mentio: cui scripta incerto auctore Epitaphia si huic loco infererem, gratiam à lectore me initurum exillimaui.

I.

Conditur hoc tumulo, sacrum hoc, qui condidit olim

Delubrum Petrus nomine, gente Danus.

Ingenio linguarũ, potens. Verum illud vt ample

Sortis causa fuit, sic fuit ista necis.

II.

Hic iaceo infelix sine lingua oculisq; cadaver:

Non oculi exiit sed mihi lingua fuit.

III.

Conditur hoc tumulo, sacrum hanc qui condidit edem,

Fortuna Danus conditor ipse sua.

II D. VIRGINIS in Arenã Regularium Ordinis D. Augustini

stini Canoniceorum Abbatia à Maria **Petri Dani** vxore excita-
ta, teste inscriptione quadam supetliminari.

Hæc mater venia tibi do Maria Maria.

Hæc offert ædes S. Vincentium V. l. scides,

& copioso prædiorum ecclia numerosisq; ptoventibus instrua-
ta. De primis huius cœnobij monachis in vetustis manuscrip-
to, quem & supra laudavi, & beneficio V. Cl. **Christophori Hen-**
scheri I. C. & Syndici Vratislaviensis nactus sum, ita scriptum
reperio: A. C. 1170. **Valerius Episcopus** (ita enim habetur in archi-
nis eorum) confirmavit privilegia Canoniceorum Regularium Arroasien-
sum B. Virginis in Arena, qui prius habitabant in monte silentij alias Su-
botka, à Vratisl. civitate distans per milliaria quinque, ubi **Petrus Comes**
in vertice ipsius montis suum habebat castrum, prout adhuc extant reli-
quia castri eiusdem. Deinde ipsi Arroasenses propter rigiditatem aera,
qua ibidem vicebat, transfulerant se sub montem ipsium, ubi nunc **Gurka**
locus appellatur. Postea Vratislaviam venerunt in locum, ubi nunc **Præ-**
dicatores morantur ad S. Adalbertum. Tandem mutantes locum dimise-
runt ipsi Prædicatores in civitate mansionem cooperante ad hoc Epi-
scopo Vratislaviensi fundatore eiusdem monasterij, & se extra civitatem
in Arenam siue insulam receperunt, locum ad defectus replentes.

Abbatibus numerantur X I I I. in quibus insulas à sancta sede
obtinuit **Conradus de Laulan** A. C. C I D C C C X I V. Eum ex inter-
nallo secutus **Ioannes de Grosbina**, cui cum Abbate D. **Vincentij**
Marco de loci prærogativa siue sessionis ordine cõtrouersia fuit:
cuius ea tandem dirimendæ, cum uterque multum pecunie in
vrbe litigando consumisset, à Pontifice inuenta est ratio, vt al-
ternis annis ius ~~esse~~ definiretur, atque adeo hic vno, ille al-
tero anno priorem in confessionibus publicis locum occuparet.
Templum ipsum elegantis & sumptuose structuræ, picturis &
altaribus excultum. Musicam sodales ad rem diuinam adhi-
bent, vt libetè dicam, insignem, nec similem alijs in cœnobijs
audire contingat.

III. D. ADALBERTI Dominicanorum (quos notiore
nomine

nomine à studio concionandi Prædicatores adpellant) conuentus: in quem **Iacobi** tunc nouæ illius sectæ & sodalitatæ monachus de territorio **Oppoliensi** (qui post mortem multis annis propter sanctimoniam vitæ actæ & miracula in numerū diuorum relatus est) **Cielanum** atq; **Godinum** collocauit: quorum illo iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam implorante Tataros ab arcibus Vratislaviensibus obsidione flammis de celo delapsis repulso Polonicorum rerum scriptores tradunt. Tentata eius ante annos haud ita multos canonisatio. Verū ad Herculis Christiani conceptionem longiorem noctem esse oportet. Nobilium patriciorumq; multi, quibus religionis eius sanctitas persuasa erat, hac in ade tumulari quondam elegerunt, vt lapides & arma gentilita parietibus fixa depictaque testantur.

Addendum his Hospitale D. MATTHIÆ sodalibus crucem cum rubea stellâ inigne professionis suæ in togâ gestantibus ab **Ana Henrici Pij** vxore, **Ottocari Boemiar Regis** filiâ extructum: cuius antistes eius ordinis per Poloniam & Silesiam Magister supremus.

Templum præterea D. DOROTHEÆ **Caroli IV.** Imp. sumptibus conditum, mole suâ maximum, quod multis retro annis vacuum & desertum à chordigeris pro nuper est occupatum: vt & CORPORIS CHRISTI, commendatariam habens Ioannitarum siue Ierosolymitanorum equitum, qui post expulsionem à terrâ sanctâ Rhodienses, nunc Melitenses post captam Rhodon adpellantur: cuius fundi redditusque Senatui oppignorati.

Cœnobîa Virginum tria.

I. D. CLARÆ, factis virginibus ordinis *D. Clara* (quæ sanctitatis opinione clara *Franciscum* civem suum imitata, vt ipse monachorum, sic ipsa monacharum siue nonnarum ordinem circa annum Christi 1100 ex xxv. instituit) sub Abbatisse disciplinâ viventibus dicatum: quod ab se circa annum 1100 ex. con-

structum necessarijs quoque fundis & opibus instruxit *Anna Henrici Pij* uxor, quæ isthic in D. *Hedwigis* sacello sepulta est, miraculisq; claruisse dicitur.

II. D. CATHARINÆ, Prioratus Ordinis S. Dominici, seu Prædicatorum: de cuius fundatione nihil certi habeo.

III. D. ANNA in Arena Ordinis S. Augustini Canonico-regularium Regularium.

Reliqua minorum gentium sana *D. Barbara*, *D. Christophori*, *D. Hieronymi*, *S. S. Trinitatis*, *Saluatoris*, *undecies mille Virginum*, *D. Aegyptij*, *D. Martini*, *D. D. Petri & Pauli*, *S. Nicolai*, *S. Mauritij*, *S. Lazari* nominalle contentus ad loca sacris familia designanda petgo. Ea verò sunt *Schole* & *Hospitalia*.

Schole in vrbe tres, singulæ singulis templis parochialibus adiunctæ, Senatus & ciuium liberalitate constitutæ, additis in vsum Rectorum, Professorum, reliquorumque doctissimorum, pro cuiusq; conditione & modo, liberalibus stipendijs. Et *Elisabethana* quidem insigni præ reliquis visendoque ædificio ornata est.

Hospitalia, vt vocant, siue Xenodochia, Nosocomia & Gerontocomia Vratislaviæ visuntur complura: in quibus omnis generis agroti, debiles, senes (quibus curta domi supellex, nec ad perficiendum reliquum vitæ iter viaticum superest) ex fundorum contributorum retributibus, gratiæque & collatiçia ciuium stipe curantur atque aluntur.

Nec desunt *Orphanotrophia* siue *Brehatrophia*, vtriusque sexus orphanis pauperioribus & expositicis educendis educandisq; vsq; dum adoleuerint, erecta. Adulti vel mercatoribus, vel opificijs mechanicis, vel liberalioribus studijs pro cuiusq; genio & indole addicuntur. Puellæ vero in familias honestas ancillatum dimittuntur.

Pro lue tabifica insectis auersa parte vrbis in sinistra Viacti ripa *Valitudinarium* ante annos haud ita multos ædificatum est amplissimum: tam arduo & inculento opere, pomerij latitudine, mu-

ne, muro cortili, tecto lateritio, concamerationibusq; , vt plurimorum nobilium arces & palatia longe superet.

Inter profana vrbis aedificia praecipua primo censenda loco *Curia Senatoris*, das Rathhaus / quali consilij domum dicas, quod Senatorum totiusq; magistratus vrbani veluti praetorium sit, in foro primario vrbisque adeo centro (vt solent fere vrbes politiores centrum lignare curijs) spectabili loco collocata: ea-que operis eximij, & vrbanae seu magnificentiae seu opulentiae superioris aui certum monumentum: tanta praeterea amplitudinis, vt principum etiam atq; ordinum Silesiae consilia & conuentus plerumq; in ea habeantur. Additam habet turrim egregiae altitudinis, quae anno 1171 LIX. pulchriori specie cepta restaurari, & altius edueto fastigio, tum horologio insigni ornata est. Quo loco illud vel obiter operae pretium est adnotare, anno deinum 1171 LXXX. horologiorum rationem Vratislaviae fuisse commutatam, constitutumq; publico decreto, a. d. 1115. Julij: vt dies deinceps non ab occatu solis, vt apud Atticos & maiores nostros, & passim in Boemia atque alicubi etiamnum in Silesia, sed a media nocte, vt in plerisque Germaniae locis more veteri Romano inchoaretur.

In depressiori vrbis, qui ad **Oderam** vergit loco, *arx* visitur, quae vulgo *Curia Caesaris* Serserschoff vocatur, & **Sigismundi** Imp. opus existimatur, in qua hodie Camerae Silesiacae collegium confessum suum & perpetuos habet conuentus.

Armamentariis Vratislaviae duo, tam insigni instrumentorum omnium copia, tormentorum, mortanorum, lichobolorum, colubrorum, bombardarum, scloporum, spongiadarum multitudine, romphearum, lancearum, sarissarum, hastarum, gladio- rum loricarum, aliarumq; munitionum & armorum omnis generis thesauro, rerum ordine, facili vso promptaque ad omnes necessitates expeditione: vt cum quibusvis Germaniae vrbium armamentarijs conferri possint.

Cybaria frumentis & rebus ad victum necessarijs refertissi-

ma diuersis ad id destinatis locis aliquot sunt constituta: quæ quidem in rebus & annona arcta amplissimus vr̄bis Senatus, quasi benignus pater, miserus plebis egenæ. c. tenuis aperire, frumentumq; non quidem nullo, sed modico aut tolerabili saltem pte distribuere consuevit.

Aliorum ædificiorum, quæ ciuium v̄sibus seruiunt, qualia sunt *Libra publica* vetus & noua, *Dominus negotiatorum*, *Laniena* siue *laniarum officina*, *carceres publici*, &c. non exiguus est numerus, quæq; omnia particularim hic referre nimis prolixum foret.

Non oculis prætereunda conuius *receptaculo* siue *castella illa aquaria*, *Wasserfânst*: in quibus ex *Viadro* & *Olaua* deriuata magnis versatilibus & excauatis rotis alijsq; machinis artificiosis sursum attrahitur in locum: indeq; per subterraneas formas tubasq; in remotissimas vr̄bis partes large dispensatur: vt quos negauit natura fontes, ars abunde suppeditet, rarasq; ad eò vr̄be tota reperias domos sine anthleis, quas architecti vocant: è quibus aquam prona facillique, quisquis volet, etiam puer hauriat manu.

Neque lustrare pigeat loca exercitijs, quæ balistis & sclopetis armorum genere hoc tempore præ cæteris v̄sitato non tam in oblectationem & pompam, quàm Republicæ bono varijs diebus habentur, destinata: quæ cum oculis magis quàm auribus dijudicentur, multam super ijs hic operam consumere aut longos facere logos nihil attinet.

Præuata ciuium ades, vt pulchri corporis apta ac decora membra, in tam splendida & nitenti vr̄be pro ipsa vr̄be: quæ in foro præsertim aut foro proxima, non modò amplitudine & specie insignes, sed & pulchro ordine atque eleganti serie constructæ: quas ob id magnus quoque Iuniconiuitus & insignis practicarum consuetudinum obseruator *And. Gailius* commendauit. Et *Dan. Sigemundus Cassouius* in itiner. Germ. & Sarmat. versibus hic quoque legi dignis: Sed in quibus Poeticam *ἐπιπέδη* non abnuerim.

*At tu, quæ lædè populos modereris & urbes:
 Hæspitij salus numine brevis mei.
 Non tibi Pannonia tutè clæra per oppida videt,
 Vistula nec tumulo, quò fuit ante, parca.
 Aemula Romuleis nitantur tectâ colonis.
 Et Parus fulgeat atria marmoribus.
 Arcibus aquanda tibi sunt & turribus ades:
 Principi est magni regia quæq; domus.
 Nec tamen interea tot in adibus ordo rugatur:
 Apta locat series ordine quamq; suo.*

Neque verò civium domibus cedunt, imò cum ijs contendunt, Canonicorum in insula palatia, tam splendida atque omnis generis ornamentis instructa, vt nec Principes inhabitasse piguerit.

Horti non in suburbijis modò, sed & intra pomeria amenissimi fertilissimiq; largum epularum, quas terrestres Plautus, Horatius egregie sine sanguine cœnas adpellat, vsu locupletibus æquè ac pauperibus præstantes, & suavissima quadam iucunditate vel inuitos inuitantes. Vel enim arboribus quâ fructiferis, quâ delectationis tantû gratia coll solitis. puta pomis, piris, prunis, cerasis, persicis, nucibus, cotoneis siue cydonijs, castaneis, amygdalis, vitibus, ficibus, sed quæ hyemis impatientes ad hiberni cœli iniuriam sub tectâ subducendæ. tum semper virentibus buxis, ex quibus mille rerum formæ opellis topiarijs doctâ manu finguntur, vndique sunt conseri: vel lupinis, ciceribus, phaseolis, pisicis, fabis, smilacibus, alijsq; leguminibus pleni: vel herbis edulibus ac radicibus (quales sunt caules siue brassicæ in olerum geoere præcipuè multarum specierum, betæ, atriplices, lactucæ, rapæ, raphani, pastinacæ, asparagi, allia rusticorû theriaea, cepæ vsitatum his locis in coctione piscium præsertim luciorum, vt & alijs in cibis condimentum, petroselina pleriq; ferculis innatantia, cucumeres & huiusmodi complures, in quibus nec melones, pepones, cinaras aliasq; id genus hortenses delicias

delicias desideres) refertissimi: vel denique lilijs, rosis, violis, rosmarino, maiorana, cyprisso & multiplicibus alijs quam bene olentibus herbis coronarijs ac floribus ornati. Quos quidem internō solum coloris elegantia & varietate, sed & odoris fragrantia ac suavitate principatum sibi facile arrogat Phloges siue Caryophyllæ flores propter odoris similitudinem cum Caryophyllis sic adpellati, nonnullis lychnides coronariæ: quibus haud scio an viciam locorum gentiumve tantus a florum studiosis adhibeatur cultus, magnitudine sænoris cultorum laborem abunde compensans. Cum autem celebres sint Vratislavie multorum horti, tum verò præcipue mihi nominandus SCHOLTZIANVS: quem Cl. V. *Laurentius Scholtzianus* Medicus Vratislavie ante annos aliquam multos neglectum antea ac ruinofum suis sumptibus instauravit, & inquilinis atque exoticis plantis egregie exornatum, quamdiu vixit, impenso sanè studio coluit. Verbis exprimi non potest, quæ florum herbarumq; in eo copia & varietas, quis ordo, quam aptè omnia in areolas suas puluillosq; disposita, quæ frondium textura, quæ viridaria: vt haud præter rem & meritum scripisse videatur *Johann. Matth. Fackerus à Fackensels* imperialis consilij in Aula Cæsarea Senator:

Thessalia laudent alij cultissima tempe:

Commendent hortos Alcinoij, alij.

Ille Guilandinà viridaria, consita dextrâ,

Ille Aicholce tuos Casariæ tholos.

Nos SHOLTZIANUS miras celeberrimi solius hortos,

Natura atque artis nobile dixit opus.

In quæ Thessaliam vincit vel formata tellus,

Slesius Austriacum, Prussiacum, Alcinoium.